

Beseke:  
De cessione  
jure delibe-  
randis et  
inventariis.





60  
IOAN. MELCH. GOTTLIEB BESEKE

I. V. AC PHIL. DOCTORIS

REGIAE SOC. VIADR. ET LAT. IENENS. SODALIS

C O M M E N T A T I O

D E

CRETIONE, IVRE DELIBERANDI,

E T

I N V E N T A R I O

I N A D E V N D A H E R E D I T A T E.



2. 4. 06.

Kf 600

---

H A L A E

S V M T V I. C. H E N D E L I I

M D C C L X X I I I.





§. I.

Iuris hereditarii multa adhuc capita superesse,  
quae abscondita sane, et difficultatibus re-  
pleta I<sup>C</sup>torum optimo cuique visa sunt, vt  
desperare fere fas sit, illis lucem aliquam  
afferre, nisi illorum ipsorum opera collecta  
aceruata, et perscrutata vires nostras suffulcire, ipsique  
nobis auctores et duces esse possint. Multi et magna scrip-  
serunt volumina; nunquam tamen plane inutilia a quo-  
piam dicta sunt, licet explicanda nugis obuelata saepius  
deprehendantur. Eos autem kucusque maxime probauim-  
us, qui magis rei, quam chariae scribendum esse puta-  
runt et fecerunt. Horum et auctoritas et exemplum sua-  
det, scriptiunculas edere, et mox hanc, mox illam iuris  
doctrinam exponere, (prout et Scientia et vacatio permit-  
tit,) vt eo magis ad vnam rem conspirare videantur in-  
genii dotes. Quo enim amplior campus est, eo remotio-

res fines, eoque concitator debet esse cursus. Cum igitur constituueremus nobiscum, commentariolum quendam ad difficillimam *Legem II. Dig. de Aktione vel hereditate vendita*, confidere, eodemque simul notatu dignissima de hereditate capita illustrare, legendo et perlegendo obtulerunt se mihi nonnulla, quae peculiari tractatione non indigna visa sunt; quorsum huncce libellum referas, Beneuole Lector. Non enim ignoro vitae rationem a me exposcere, vt ea potissimum tradam quae ad fontes ducunt, vnde iura hodierna haurire debemus, reliqua vero digito tantummodo monstrum, atque vt, loqui ita liceat, primum systemati, post vitae studere videar ac docere. Non obturatus igitur eiusmodi ero, vt non sentiam incitamenta Doctissimorum Virorum, meorumque Fautorum, qui huius generis scripta probant. Sed quam velim exspectationi istorum eorundemque satissacere! an spem superare possim? despero. Feci, quod poteram: etiam tu beneuolus sis lector.

## §. II.

*Causa proponitur, et hereditatis notio traditur.* Pauca tantummodo de hereditate differamus, cuius conceptus nondum ita expeditus est, vt superuacanea egisse videar; atque tam pauca tantum, ne nobis quicquam praeripiamus, quod alio tempore dicturi sumus et iam allaboramus. *Hereditas* quoniam mox *subiectus*, mox *objektus* a DD. sumi solet, ambiguae significationis est. *Subiectus* scilicet est successio in locum defuncti, a) siue vni-

a) Julianus in l. 62. D. de reg. iuris l. 128. D. de reg. iur. l. 34. D. de acquir. rer. dom. l. 34. et 61. D. eodem.

vniuersitas iuris h. e. *ius a defuncto relictam substantiam bonorum acquirendi per vniuersitatem* b) siue ius hereditarium; obiectum vero est *omnis bonorum substantia a defuncto post mortem relata* s. vniuersitas rerum. Magis placet ita loqui: In qualibet hereditate debet esse iuris vniuersitas tanquam substantiale; rerum vniuersitas vero naturale tantum est et abesse potest, quoniam hereditas absque ullo corpore aestimatur. c) Quodsi igitur de acquisitione hereditatis loqueris distingue; oratio est vel de acquisitione iuris hereditarii, vel de acquisitione corporum hereditariorum: prior fit sola delatione vel lege immediata, vel testamento facta; posterior autem ipso iure, aditione et pro herede gestione. Iam vero loquimur de acquisitione rerum in hereditate comprehensarum, siue de acquisitione vniuersitatis rerum s. vti DD. proferunt, de acquirenda hereditate obiectum spectata.

### §. III.

*Acquirere vox tam de rebus quam de iuribus usurpari solet, et significat in genere, facultatem de aliquo disponendi nancisci, d) in specie vero incipere aliquid proprio* De acquisitione hereditatis in genere.

A 3

iu-

- b) *Africanus* l. 208. D. de V. S. *Vlpianus* l. 178. D. de V. S. l. 138. D. eod. *Pomponius*, lib. 119. D. d. V. S. *Caius Inst.* Lib. II. Tit. II. *Contius* Lib. II. disp. Iur. ciu. cap. XII. *Iustinianus Inst.* per quas person.
- c) l. 30 D. hered. petit.
- d) *Ita iura, obligationes* l. 11. §. 6. D. de piguor. act. §. 4. Inst de inutil. stipul. *actiones* l. 16. §. 3. D. de liber, causs l. 12. §. vlt. D. quando dies legati l. 1. D. de initit. act. l. 30. pr. D. ad Leg. *Fale*. *acquiri dicuntur*. *Brisslonius Verb.* signif. voce *adquirere*.

*iure ac nomine habere* audit. e) Duplii hac ratione saepius in iure nostro occurrit, posterior tamen frequentius obtinet. Iam hereditatem acquirere, quid sit, expeditum est. Euitare solum velis ambiguitatem, tanquam pestem ICtorum de qua antea iam monuimus. Acquiri hereditas, quatenus rerum vniuersitatem complectitur, duplii modo potest, et quidem pro diuersitate personae, quae eandem acquirit. Videndum scilicet est, utrum suus heres acquirat, an extraneus; hoc in casu actus aliquis accedat necesse est, in illo vero nil nisi delatio requiritur, quae acquisitione eam ob causam *ipso iure* facta appellatur. Si mediante facto aliquo acquiritur, hoc sit verbis expressè declarata voluntate, aut factis: prior *aditio*, posterior *pro herede gestio* vocatur.

#### §. IV.

De acqui- Primo igitur dicamus de acquisitione, quae fit *ipso* fitione here-  
ditatis in spe. *iure.* f) Is, qui tali modo rerum vniuersitatem, quae in he-  
cie quae fit  
a) *ipso iure.* re-

e) Ita in dominiis visitatur Iulianus. 1. fin. pr. D. de eo per quem factum erit. Paulus l. 5. D. de separati. Et Horomannus ad Inst. Tit. de acquir. rer. dom. Plus est, inquit, acquirere quam adipisci aut nancisci: nam qui rem inuenit, aut cui pignori data, aut commodata, aut apud quem deposita res aliqua est, aut si ex permutatione alicui res tradita est, cum ipse non satisfaciat, naectus adeptusue rem aut possessionem recte dicitur: acquisitione vero nequaquam.

f) *Ipso iure* quid sit, explicemus. 1) id, quod ex solo iure ciuili ortum trahit, in iure, quod autem ex iure gentium descendit, in facto considerare dicitur. Modestinus l. 10. D. cap. minut.: 2) deinde etiam *ipso iure* aliquid competere dicitur, quod generali legis sanctione obtinet, iuris ciuilis auctoritate, citra praetoris auxilium. Item abs- que

reditate est, acquirit necessarius <sup>g)</sup> appellatur, et est vel  
suis filius, vel seruus in dominica potestate constitutus. <sup>b)</sup>  
Hi igitur heredes manere debebant, siue corpora hereditaria  
sufficerent ad ferenda onera hereditaria, siue non;  
neque melior conditio erat filiorum, quam seruorum.  
Cum vero saepius ex hoc magnum detrimentum caperent  
filii, iuris necessitate heredes facti, Praetor commotus mi-  
sericordia restitutione in integrum illis succurrerit <sup>i)</sup> quae  
postea in beneficium abstinenti sese a hereditate, iamiam  
acquisita, mutata est, ita ut omnia in pristinum statum  
redigerentur, quasi nunquam domini rerum hereditaria-  
rum facti fuissent. Impuberis tamen praeferebantur, ita  
ut illis competenter abstentio, etiamsi forte hereditati se iam  
immissuerint, quod in puberibus fecus erat. <sup>k)</sup> Ex quo  
deinde euentum est, ut acquisitione ipso iure fere exularet,

et

que magistratus auxilio, quo in casu aduersatur illi, quod sit iure  
praetorio l. 1. D. quibus modis vsus. l. 1. §. 5. D. quod fals. tut.  
Vnde apparet, heredes suos ipso iure acquirere hereditatem, nihil  
aliud esse, quam illos non opus habero, ut actum legitimum, ad  
acquirendam hereditatem suscipiant, quia iam per LL. XII. Tabb.  
ius succedendi firmum habent ac stabilitum.

<sup>g)</sup> Caius in Inst. explicat, quia necesse illis est, heredes fieri, aut ve-  
lunt, aut nolint. Lib. II. Tit. III. §. 4.

<sup>b)</sup> Quod filii sui et serui heredes necessarii sint, hoc ex indole patriae  
et dominicae potestatis romanae explicari debere censeo, cui tanta  
habebatur auctoritas atque vis, quanta summo absolutissimoque  
legislatori.

<sup>i)</sup> I. 57. D. de acquir. vel omitt. hered.

<sup>k)</sup> Pomponius l. 11. D. de acquir. vel omitt. hered. Ulpianus lib. 11.  
ad Edict. l. 12. D. eod. Caius l. 57. D. eod. Ulpianus lib. 61. ad  
Edict. l. 71. D. eod.

et heredes sui non alio modo acquirerent, quam extranei per aditionem. l)

§. V.

b) quae fit per aditionem. Iam de aditione nunnulla exponamus et videtur verbum hoc proprie ad heredes extraneos, m) siue voluntarios spectare, qui quasi aliunde quam ex domo testatoris accedere dicuntur. n) Erat haec aditio actus legitimus; o) quo heres verbis solennibus declarabat, se velle dominum hereditiarum rerum esse. Formula quae adhiberi solita erat, narrante summo Antiquario, cum me Maeuius heredem instituerit, eam hereditatem adeo cernoque. p) Quibus-

- l) Vnde iisdem communicata est cretio, (de qua mox) adeundi solennitas, ius deliberandi, iuuentarii beneficium; nec necesse erit, vt de illorum acquisitione speciatim traistemus.
- m) Caio explicante Lib. II. Tit. III. Inst. §. 4. qui nullo propinquitatis gradu testatori iunguntur, sed quos quicunque arbitrio suo scribit heredes. Inspecie vero ii eriam extranei vocantur, qui non sunt in testatoris potestate, quales propinquai esse possunt heredes legitimi, qui non sunt filii sui.
- n) Et vt Graeci dicunt, προσελθεῖν τὴν ἀναγνοῦσαι, vel vt Lucianus προσέλθειν εἰς τὴν ἐστέλλεν. Alias quod in extraneis est adire vel pro herede gerere, in suis immiscere se vocatur. l. 3. §. vlt. D. quib. ex causs. in poss. eatur. Eam ob rationem, adire et discedere opponuntur. l. vlt. C. de Iur. delib. l. 7. §. 9. D. de minoribus. In eandem sententiam subire hereditatem dicitur a Paulo l. 181. D. de Reg. Iur. imo obire hereditatem dixit Cicero Agr. I. cap. 3. Cuiac. Obs. III. c. 6. Festus.
- o) Pure fit. l. 77. D. de Reg. Iur. et semel l. 80. §. vlt. D. de acquir. her. et per se non per alium l. 90. D. eod. et verbis conceptis l. 52. §. vlt. D. eod. et testibus praesentibus. Cicero XIII. ad Attic. Varro L. L. Lib. V. Briffon. l. c.
- p) Barn Briffonius de Formulis, Lib. VII. c. XXV. Vlpianus fragment. XXII. §. 28.

nam vero ritibus peracta fuerit, de hoc eruditissimi homines quam vehementissime disputant. Vtrum luminis aliquod afferre possimus, periculum faciamus. Placet opinio eorum, qui praesentibus testibus, recitata formula consueta tantummodo illam factam esse contendunt; displicet vero aliorum diuinatio, quod percussio digitorum, quod quae signum dominii apud veteres fuisse constat, adhibita fuerit; alii re) saltationem addunt, quasi laetitiae signum, cum utrumque ex male intellecto loco Ciceronis1) descendit, de quo plura habet Graeuius Ciceronianus. re) Credo ego nul-

quod) Cuiac. Obs. VII. c. 19. Cretionis et additionis symbolum, inquit, digitorum percussio, vt antestrationis aurium attrectatio, manumissionis, palmae ductus. Merill. Obs. IV. c. 34.

re) Ant. Dad. Alteserra de fictionib. iur. Tr. III. c. 19.

sed) Totum adscribam ex edit. Graev. de Offic. III. 19. Si vir bonus habeat hanc vim, vt, si digitis concrepuerit, posset in locupletium testamenta nomen eius irreperere, hac vi non eratur, ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam suspicaturum. At dares hanc vim M. Craffo, et digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui re vera non esset heres: in foro, mibi crede, saltaret. Hanc autem iustus, isque quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat detrahet.

tamen) Verum sermo illic non est de hereditate cernenda, sed de effiendo, vt scribaris heres, quod vir sapiens, licet posset, nolle malis artibus efficiere: at Craffus, homo auarissimus, nullum non turpitudinis genus admitteret, si id posset obtinere. Ita vti solet rectissime exponit Ioh. Georg. Graeuius. Ab hominibus quibusdam, quibus nullus erat pudor, in adeundis hereditatibus tale quid factum esse, indicat Ambrosius de Offic. lib. III. cap. 11. dum ita scribit: non ego in hereditatibus adeundis digitorum percussiones, et tudi successoris saltationes notabo: nam haec etiam vulgo notabilia. Habuisse hic Ambrosum in animo Ciceronis verba iam adducta, nemo non videret: ex quibus tamen an et ipse tale quid col-

nullis aliis solennitatibus aditionem peractam esse antiquitus, quam quae in quolibet actu legitimo adhiberi solent, quales passim in iure nostro obueniunt. Omnes, eos qui solennitates peculiares adfuisse contendunt, errare arbitror, quoniam cretionem cum aditione confundunt, quae tamen diuersam plane naturam habent; de quo nunc.

### §. VI.

A.

*De cretione.* *Cretio hereditatis* a verbo *cernere* u) ortum trahit, &  
ne. *De notiori.* idem quod decernere et constituere significat. x) Ita enim  
*ne cretionis* omnibus bonis auctoribus haec locutio est. z) Originaria  
*grammatica*  
*& iuridica.* igitur significatio videtur esse, *declaratio* heredis se velle he-  
reditatem acquirere; in quo cum aditione fere conuenit.

Di.

legerit potius fieri, quam suo tempore viderit, mihi cum Schultin-  
gio est dubium.

- u) Quod iterum a νέγκω, iudico, descendit: adeoque praecipue ad animi actus deliberationem, ac deinde iudicium pertinet, licet et ad visionem, quae interuentu oculorum fit transferatur. Hic vero dum antecedens sumitur pro consequenti, cernere est voluntatem declarare ac suscipere hereditatem, quod fit animi iudicio praecedente, et cretio est susceptio et aditio. Periz. not. ad Sanct. Mi-  
nerv. L. IV. c. 15. et in resp. ad Lud. Kasteri diatr. de verbo  
*cerno*. In Glossis hoc verbum *cernitoque*, exponitur, νοῇ ἐγχειρίσατω, vel ἐγχειρισάτω, quod mauult Merill Obs. L. IV. c. 34.  
certe verbum ἐγχειρίσει tali sensu semper occurrat in Basiliis.  
Lib. XXX. Tit. 14.
- x) Caluinus voce *cernere*. Cuiac. Obs. VII. 18.
- z) Cicero ad Attic. XI. 12. Galeonis hereditatem *creui*. Varro L. L.  
lib. VII. illud Plauti interpretans: hanc mihi amicam esse creui i. e.  
constitui. Idem Lib. V. verbum *cernito*, quod in testamentis ad-  
scribi solet, ininterpretatur – facito, videant te heredem esse.  
Vlpianus, verba cretionis dicere s. cretionem dicere explicat, oc-  
currat quoque l. 5. Cod. Theod. de matern. bon.

Distinguunt tamen curatores ICti aditionem et cretionem, tanquam minus et maius, utrum solis solennitatibus a) quae in posteriori obuenire solebant, dubitamus. Quodsi enim Vlpiani auctoritatem sequi volumus, quoad solemnitates nulla erat differentia b) sed tantummodo quoad peculiaria iura, quae illi heredi competebant, qui ius cernendi hereditatem habebat. Eaque iura, cum cretione connexa, concedebantur solum a testatore simul cum institutione explicante ita Vlpiano c) Cretio, inquit, est certorum dierum spatium, quod datur instituto heredi ad deliberandum, utrum

B 2

ex.

a) quae Cuiaciana videtur opinio Obs. L. VII. 18. Heinecc. Antiquit. Merill. Obs. IV. 34. Sexaginta duos testes nonnunquam adfuisse putat Cuiacius obs. IX. 29. ob interpretationem loci Ciceroniani ad Att. XIII. cretionem liberam testibus praesentibus sexaginta diebus, quae verba e veteribus libris reuoearant viri docti; unde legendum censer cum nonnullis edd. sexaginta duobus, vt ad testes referantur, qui numerus testimoni Manutio absurdus visus est, ob eamque rationem diebus legit, quod optimae quaeque edit. habent. Sed Cuiacius editioni suae, licet vitiosae, maiorem fidem tribuit, quia notioni, quam de cretione libera habet, aduersari ceasit lectio sexaginta diebus.

b) Vlpianus enim cernere, inquit, est verba cretionis dicere cum solemnii formula l. c. §. 28. Quodsi ob hanc formulam (nam de nulla alia solennitate ex antiquitate constat) cretionem vocaueris solemnem aditionem, per me fiat. Atque hac quidem ratione aditio ut verbum generis sumenda esset, cuius species sunt cretio et pro herede gestio. Vide num placeat opinio? pro fundamento esse potest l. 2. Cod. Hermog. de successi. ubi - cerneret et pro herede gereret. Imo Vlpianus l. c. opponit cernere et pro herede gerere ut species aditionis.

c) Fragm. Tit. XXII. §. 27. apud Schulting. p. 643.

*expeditat ei hereditatem adire, nec ne: velut, Titius heres  
efto, cernitoque in diebus centum proximis. d)*

§. VII.

Vlterior ex-  
plicatio na-  
tureae & effe-  
ctuum cre-  
tionis.

Atque ut distincte tradamus, quae sit mens nostra,  
sic habeto:

- 1) Antiquitus non licitum fuisse heredi instituto arcana familiae rationesque inspicere absque voluntate locum defuncti occupandi, multis argumentis probari potest, nec desunt perspicua et indubitata documenta. Quodsi enim non obseruatum hoc esset, miraremur sane, cur heredibus institutis cretio, post a praetoribus deliberandi tempus, et denique inuentarii beneficium concedi necesse fuerit? Idem fere ex indele veteris testamenti factionis colligi potest, quae summam testatoris, qua ciuis romani, potestatem ostendit.
  - 2) Cum autem non inspecta hereditas et tamen adita valde dammosa saepius esse potuerit heredi, quam audiissime ad illam aduolanti, consulere voluerunt amicis suis testatores, spatium deliberandi heredibus institutis concedentes, quod non incongrue *cretionem* e) vocauere antiqui. Quodsi igitur non expresse da-
- d) Isidorus Lib. V. Origg. 24. Cretio, inquit, est certus numerus dierum: in quo institutus heres aut adit hereditatem, aut finito tempore excluditur: nec liberum est illi ultra capienda hereditatis ius. Cretio appellatur, quasi decretio in Glossis — ἵπτελενσις κληρονομίας.
- e) Imo institutionem cum cretione, etiam breui modo cretionem apud Cic. ad Att. XIII. 46. Clavii cretio — — Idem de Orat. I. 22

datum sit a testatore, nemo illo vti debebat; vsque  
dum praetores veterem Iuris ciuilis rigorem aequita-  
te sua temperarent, et edicto promitterent, *velle se  
heredi petenti certum tempus dare.* f)

- 3) tempus, quod a testatoribus dari praeſinirique sole-  
bat g) erant centum dies h) et quidem proximi h. e.  
ii, qui statim currunt a tempore scientiae aut mortis  
testatoris. Praetores deinde ius deliberandi conce-  
dentes tempus hocce centum dierum imitarunt ita,  
vt non pauciores, licet plures, darentur. Postea vero  
iure Iustinianeo demum certum definitumque esse coe-  
pit spatium et Princeps annum, Magistratus autem  
nouem menses concedere solebant i).
- 4) Erat itaque cretio haec antiqua k) magis beneficium,  
quam onus heredi instituto adscriptum, vti quidam

B. 3

pu-

f) l. 1. §. 2 D. de iure delib. l. 23. §. 4. D. ead.

g) multa huius temporis in Digestis occurrunt vestigia in l. 22. §. 1. D.  
quando dies legat ced. l. 3. §. 8. D. de minorib. l. 2. §. vlt. D. de  
fuis et legit. hered. l. 9. §. 1. D. de iur. et facti ignor. l. 86. D. de  
acquir. vel omitt. hered. In heredib. voluntariis et quidem testa-  
mentariis antiquitus tantum ocurrere solet, non vero in iis ab in-  
testato. Cum autem per praetorum aequitatem generale bene-  
ficium potentibus fieret, cum heredibus ab intestato etiam com-  
municatum est, quod ex edicto praetoris, non ad testamentarios  
heredes adstricto, luculenter appetat.

h) centum, non ex legis necessitate aliqua, sed ex arbitrio institu-  
tis; de tali enim lege nulla extant monumenta. Qua propter tem-  
pus hoc consuetum cretionis ex alia consuetudine in acquirendā  
hereditate concipi explicarique debet.

i) l. 13. l. vlt C. de iure delib.

k) tam testamentaria, quam praetoria, si ita loqui volumus.

putauerunt. Vlpianus enim <sup>l)</sup> sine cretione heres institutus, docet, si constituerit, nolle se heredem esse statim excluditur ab hereditate et amplius eam adire non potest. Cum cretione vero institutus sicut cernendo sit heres, ita non aliter excluditur, quam si intra diem cretionis non creuerit. Ideoque etiam si constituerit, nolle se heredem esse, tamen si supersint dies cretionis, poenitentia aetus, cernendo heres fieri potest.

- 5) Eminentissimus alius cretionis effectus erat, quod hereditas, instituto cum cretione ante diem cretionis moriente, ad heredes eius legitimos transmitteretur, ita ut hi, licet non statim acquirerent, tamen aequo iure ac defunctus cernendo heredes fieri possent, si intra dies cretionis, qui adhuc supersint, cernerent. <sup>m)</sup>
- 6) Dari solebat ista cretio potissimum heredibus institutis et quidem a testatore de quo formula consueta testatur. Interdum etiam a legitimo herede peragenda erat, quamvis dubio procul diuersa nonnihil formula, ac diuerso modo.

### §. VIII.

Cretionis  
species & qui-  
dem.  
<sup>a)</sup>vulgaris  
ac continua.

Cretio haec antiqua, antequam in ius deliberandi a praetoribus conuerteretur, ex voluntate testatoris in variis abi-

<sup>l)</sup> Frigm. Tit. XXII. §. 29.

<sup>m)</sup> quod ex verbis – non aliter excluditur, quam si intra diem cretionis non creuerit Vlpian, l. c. §. 29. colligi potest, et ex successione

abibat species, adeo ut occurrant, *vulgaris, continua, perfecta, imperfecta, n) libera et simplex, o) de quibus nunc sigillatim agendum erit.* Cretio nempe, explicante Vlpiano, p) aut ita facta erat, *quibus scieris poterisque aut non; priori in casu erat vulgaris, posteriori vero continua, quae non formula solum, sed etiam effectibus discrepabant.* Qui enim vulgarem habebat cretionem, illos dies tantum computare debebat, quibus scit, se heredem institutum esse, et potuit cernere, et quidem utiles s. fastos, quibus praetorem adire licet; q) is vero, qui cum creatione continua institutus erat, etiam illos computare debebat dies, quibus ignorat, se esse heredem institutum, aut sciuit quidem, sed non potuit cernere. Qui igitur dies continui, siue nefasti sunt, quoniam praetoris copiam in iudicio ad suscipiendum auctum legitimum habere non poterat. Qualem itaque cretionem, vtrum vulgarem an continuam quis habeat, hoc a solo testatoris arbitrio pender. Quodsi autem praetor loco veteris huius cretionis ius deliberandi daret, credo ego illum semper utiles dies s. cretionem vulgarem concessisse.

### §. IX.

ne in locum defuncti. Praeterlapsi vero tempore cretionis non amplius ad heredes instituti transmitti potest, sed venit hereditas aut ad substitutum aut ad legitimos.

n) apud Vlpianum l. c.

o) apud Cic. ad Att. XIII. 46. ad eund. XI. 12.

p) Vlpianus l. c. §. 33. formulam exhibet: Titius heres esto, certiisque in diebus proximis centum, quibus scieris poterisque nisi ita cerueris exheres esto, tunc Maeuius heres esto, certiisque reliqua.

q) l. 2. D. quis ord. in honor. possit.

## §. IX.

<sup>3)</sup> perfe-  
cta et imper-  
fecta.

Altera *cretionis* diuisio est in *perfectam* et *imperfectam*, quae hoc modo, Vlpiano r) praeeunte, discernebantur, vt cum testator verba adiecisset; si non creueris, exheres esto, *perfecta* vocaretur, sin minus *imperfecta*. Illam heredibus legitimis, testamento tamen heredibus scriptis, scribi solitam fuisse arbitrör, ob verba *exheres* esto, s) alias enim absurdum esset, aliquem exheredare, qui non haberet ius hereditarium aliud, quam ex institutione cum *cretione*. Sufficeret enim si dixisset testator - *Titius heres esto, hereditatem cernito*, et *Titius quasi sub conditione t)* heres institutus esset, si scilicet creuerit hereditatem. Iam, deficiente conditione, exulat quoque ius hereditarium sub illa conditione concessum, ideoque superfluum erat exheredare eundem. Imperfecta, quae cum substitutione etiam fieri solebat, et formula si non creueris, tunc *Maevius heres esto*, ad heredes extraneos solum pertinuisse videtur, quia primarius substitutionis finis per omnem testamentorum historiam fuit, vt heredes ab intestato plane excluderentur a successione. Id tamen peculiare u) quid sane erat, quod, quum institutus sub *cretione* imperfecta, non impleta testatoris voluntate, qui solemniter voluit cerni, et pro herede

ge-

r) l. c. §. 33.

s) Vlpianus l. c. §. 34.

t) iussus enim cum exheredatione, nisi heres quid faciat; conditionem inuoluit l. 44. D. de her. inst. nec alius siue sit legitimus siue substitutus pendente condicione admittitur.

u) alias enim excludebatur, si intra diem *cretionis* non creuerit, Vlp. l c. §. 30. Quodsi vero miraris, vnde hoc euemiat. dissinguere solum, procedere dicta in substitutione imperfecta.

gerendo hereditatem iam acquirere voluerit, substitutus Maeuius dein *x)* in partem admittatur, *z)* quasi adiectus. *a)* Quod vero cum quasi incongruum haberetur, Diuus Marcus constituit, *b)* vt heres ita institutus gerendo ex aße heres fiat, quod contra strictum ius antiquum factum esse apparent. Sin igitur nec creuerit, nec pro herede gesserit, eo ipso excluso, substitutus ex aße succedit.

### §. X.

*Tertia cretionis species esse traditur libera et non libera;* *y) Libera et non libera.*  
quaenam vero hae fuerint, inter viros doctos nondum con-  
stat. Vestigia earundem apud Ciceronem *c)* deprehenduntur, sed quam exigua. Eruditam aliquam, more so-  
lito,

*x)* intellige dimidiam ob. I. 164. §. 1. D. de V. S.

*z)* ita enim Tryphoninus l. 20. §. 1. D. de bonor. poss. contr. tabb.  
quod etiam obseruatur, si quis seruum alienum heredem instituerit,  
dum putaret eum esse hominem liberum, eique substituerit Mae-  
uium. Hic si postea ille seruus hereditatem acquisuerit domino,  
substitutus in partem dimidiam vocabitur §. vlt Inst. de vulg. subst.  
l. 40. D. de hered. instit. non quia voluntas testatoris est obscura,  
quo cum vulgo Doctorum inclinat Cuiac. Obs. XVII. c. 21.  
quam quia ita non suo arbitrio adit sibi adquirit, vti defunctus  
cogitauerat.

*a)* quod ex interpretationibus dubiae voluntatis testatoris ICtorum,  
orum trahere viderur.

*b)* qua constitutione hucusque inuenire non potui.

*c)* ad Artic. XIII. 46. Ex eo, scribit, cognoui cretionem Cluui  
(o Vestorium negligentem) liberam testibus praesentibus sexaginta  
diebus, metuebam ne ille arcendus esset nunc mittendum est, vt  
meo iussu cernat. Idem I. de legib.

lito, explicationem habemus a Cuiacio *d)* qui *nat' avālo.*  
*yeāv* legationis liberae, cretionem liberam vocat, quae  
nullo est finita tempore, ita ut testator scripserit, *cernito*  
*cum volueris*, non adscripto C. dierum solemni tempore. *d)*  
Quoniam vero interpretationi huic obstant verba *sexaginta*  
*diebus*, Cuiacius cum nonnullis editionibus *sexaginta duobus*  
legendum esse censer. Absurdum hoc visum est, tot testes  
adhiberi, Malaspinae et Manutio, ut inde commotus Ma-  
nutius malit, *cretionem liberam* esse idem, quod heredis  
institutio non oneribus hereditariis grauata, quod ex eo  
concludit, quia T. Hordeonius coheres Vestorii legata  
soluere debebat, Vestorius vero nulla. Iam medianam viam  
ingrediamur, et componamus litem tantorum virorum hoc  
modo, ut assentiamur *Cuiacio* quoad verborum restitutio-  
nem *sexaginta duobus*, *e)* *Manutio* vero quoad definitio-

- a)* Obs. L. IX. c. XXIX. legatio libera est, inquit, si quis, suorum  
non publicorum negotiorum causa in prouinciam proficiscitur.  
Cic. III. de Legib. Libera autem dicitur, quod nullo sit finita tem-  
pore sed redire et abire ei quandocunque licet. Iis recte dixe-  
ris liberam cretionem dari, licet ut legatio, ita cretio sit sine re id  
est, profectonis color potius quam hereditatis acquisitione. Cicero-  
nem de Legib. auctorem laudat, sed malim legere *curationem* quod  
nonnunquam permutatur e. ius Quir. 1. dist.
- d)* idem ille locus Ciceronis est suspectus, de quo antea diximus;  
sed quaero ex te numne omnis suspicio, ob verba *sexaginta diebus*  
orta, casset, simulac cretionem eiusmodi explicaueris, ac nos fe-  
cimus et non sine omni ratione.
- e)* scilicet *testibus*; nullum est enim dubium, testatoris arbitrio reli-  
atum fuisse, quot homines solennis cretionis causa adhibendos iu-  
bear, cum hoc ad conditionem scriptam pertineat. Imo antiquis  
amplissimus testium numerus definiebatur l. i. D. de *testibus*, li-  
cet

nem cretionis liberae. Quid nunc sit cretio non libera apparet, simulque elucebit, species hasce non esse genuinas cretionis, sed cuiuslibet heredis institutionis communes.

### §. XI.

Vltima denique est *cretio simplex*, quam eam dicunt esse, *cum unus heres totam hereditatem cernit, adeoque neminem coheredem habet*. Hausta haec est iterum ex Cicerone f) qui *Galeonis*, scribit, *hereditatem creui: puto enim cretionem simplicem fuisse, quoniam ad me nulla missa est*. Fortasse tamen, inquit Celeberr. noster Ernesti g) aliquis malit eandem putare cum ea, quam Vlpianus *imperfectam* dicit. Sed cum in vtraque explicatione diuinatio solum adsit, nihil fere statuere possumus; Ernestiana tamen, quia magis conuenire videtur, non displicet. Sed satis de cretionis explicatione, sequuntur vicissitudines eiusdem.

### §. XII.

Quando cretionis mos apud Romanos inualuerit omnino dici nequit, nec interest; quousque vero durauerit, dum ius deliberandi cuiilibet heredi concederetur, magis explicitum est. Evidem nullo modo opinor, illam cessauisse, simulac praetor editum suum proponeret;

C 2 non

cet non probationis, tamen solennitatis gratia. Deficit ergo absurditas, quam Manutius reprehendit.

f) ad Attic. L. XI. c. 12.

g) in Clau. Cic. voce *Cretio*.



non enim contradicunt <sup>b)</sup> sibi, ius deliberandi a testatore datum atque illud a praetore concessum. Vtrumque et hereditariis creditoribus et heredi fauori statutum erat. Cretione itaque deficiente, praetor supplebat, cum exigeretur. Quapropter edictum praetoris supponit casum, *si testator cretionem institutioni non adiecerit*, petenti dabit. <sup>i)</sup> Id tamen certum esse credo, iuris deliberandi ortum intra Ciceronis <sup>k)</sup> aetatem et editi perpetui cadere, <sup>l)</sup> hoc est, intra Annum U. C. DCCIX. et DCCCLXXV. s. a. Chr. **CXXXI**, quorum annorum differentia est CLXVI. anni.

### §. XIII.

<sup>g)</sup> *Desifit se illam instituta iure deliberandi, multi falso credunt, quorum errores demonstrantur.*

**Ex l. 17. Cod. de Iure delib.** perspicere nonnulli volunt, cretionem a. CCCVII. penitus sublatam esse, de quo autem summa cum ratione dubitamus, quia vitium Trioniani aliquod hic latet. Is enim, vti supra iam norauimus, ex l. 8. C. Theod. de matern. bon. et cret. subl. insig-  
gnem

<sup>b)</sup> imo spatium deliberandi ex Edicto competens cum cretione prō vno eodemque haberetur, de quo testatur Tot. Tit. Cod. Theod. de matern. bonis.

<sup>i)</sup> inde errare mihi videntur, qui ius deliberandi cretionem excepisse ac sustulisse credunt, absque omni quoque ratione dictum hoc est, quia nec lex, nec argumentum, nec diuinationis fons adeat. Id tamen negare non possumus, quam plurimos testatores iuris deliberandi beneficium supervacaneum duxisse, cum quilibet heres, si opus esse visum fuerit deliberandi spatium, a praetore contra veteris iuris rationem accipere posset.

<sup>k)</sup> Cicero enim, quoties de adeunda hereditate loquitur, cretionem nominat neque vñquam exstat apud eum - monumentum aliquod deliberationis.

<sup>l)</sup> Quod colligitur ex l. 1. D. de iure delib. quae fragmentum commentarii Vlpianei est ad edictum.

nem commisit interpolationem, dum ultima legis istius verba  
plane amputata nobis reliquit. Sunt nempe ex *Oratione A.*  
*A. A. Arcadii, Honorii et Theodosii* haec: cretionum autem  
scrupulosam solemnitatem (sive materna filiosfamilias, sive  
alia quaedam deferatur hereditas <sup>m)</sup>) hac lege emendari pe-  
nitus, amputarique decernimus Dat. XVI. Kal. April. Con-  
stantinop. DD. N. N. Honorio VII. et Theodosio II. A.  
A. coss. [407]. Aperte ex hoc elucet, cretionem tantum  
sublatam esse, quoad successionem filiorumfamilias in bo-  
nis maternis; quod satis perspicue etiam habetur in *I. i. Cod.*  
*Theod. de cretione vel bonorum possess.* Debebat scilicet iure  
antiquo filiusfamilias, cui delata esset legitima hereditas,  
iussu patris eandem cernere, et bonorum possessionem  
petere, alioquin hoc non facto, si filius deceperet, nihil  
iuris in ea hereditate pater habebat. Ratio huius sine du-  
bio erat, quia pater in ea hereditate, et si filio delata, per  
filium tamen sibi ipsi acquisita, extraneus erat. Non ha-  
bebatur igitur ratio personae filii, sed patris, subducta  
filii persona. Hoc usque ad *Constantini M.* tempora ob-  
seruatum fuit. Verum *Constantinus* maternas successio-  
nes, filisfamilias delatas, exceptit: nam in his quoque cre-  
tionis et bonorum possessionis petendae necessitatem remi-  
sit, quia scil. materna bona idem imperator viusfructus  
tantum titulo liberis delata ad patres pertinere voluit  
anno CCCXVI. <sup>n)</sup> *Constantius* secutus est anno Chr.

C 3

CCCXXXIX.

<sup>m)</sup> Inclusa haec verba omisit Tribonianus in Codice repetitiae praef-  
lectionis.

<sup>n)</sup> I. i. Cod. Th. de maternis bon. Annus omisissus ex hac lege colli-  
gi potest ac debet ex lib. i. C. Th. de longi temp. praefcr. vbi  
iudicem Coss. fuerunt.

**CCCXXXIX.** o) et *Arcadius* a. Chr. **CCCCVII.** denique p) non tantum si materna, sed et si alia qualisunque materni generis hereditas filiofamilias delata fuisset, *creationis et bonorum possessionis petendae necessitatem remiserunt.* q)

### §. XIII.

Vere  
sublata a In-  
finiano.

Iam licet Tribonianus in excerptendo Codice Theodosiano vitium commiserit, tamen ab hoc demum tempore creationem penitus sublatam esse dici potest, r) h. e. anno facti Codicis repetitae praelectionis **DXXXIV.** usque quo et cretio et iuris deliberandi petitio pari passu in iure ambularunt. Ius deliberandi igitur solum remansit, usque dum et hoc per inuentarii beneficium, omnibus hereditibus communicatum, tolleretur. Nunc autem magis ex instituto de isto iure deliberandi agendum est, et breuiter nunc nos expediamus.

### §. XV.

o) l. 4. C. Th. eod.

p) l. 8. C. Th. eod.

q) Unica exceptio erat, si infanti delata esset hereditas. Nam si infra VII. annum infans sub creatione ab extraneo institutus deceperit, nihil ad parentem transmittere, quia intra ea tempora fieri non poterat, atque adeo verba creationis dicere; praesertim in creatione vulgari obtinebit hoc, propter verba, *quibus scieris poteris que.*

r) utrum testatoribus plane interdictum sit sub creatione aliquem instituere, dubitamus, sed isdem potius hoc liberum manasse arbitramur; attamen non amplius attendebatur fere cretio testamentaria, et ob maiorem auctoritatem atque valorem iuris deliberandi exoleuit.

## §. XV.

B.

De iure  
deliberandi.  
Eius no-  
tio, natura &  
effectus  
in here-  
dibus volun-  
tariis.

Sub iure deliberandi intelligimus in genere certum <sup>1)</sup> temporis spatium heredi datum, quo possit inspicere, utrum expediat adire hereditatem nec ne; in specie Praetorium vero est, quod heredi petenti a praetore datur. Monuimus iam contra ius strictum aequitatis ratione hoc concessum esse, quia nemini licebat arcana familiae scire, et post repudiatam hereditatem defuncto iniuriam inferre. Sed nec unica ratio haec erat, voluit etiam praetor primo ante omnia heredi consulere, ne ex aditione damnotha heres factus ultra hereditatis vires teneatur, deinde etiam creditoribus hereditariis succurrere, <sup>2)</sup> ne horum iura, repudiata hereditate ob vanum metum hereditatis nimis oneratae, amittantur. In multis rebus hoc cum creatione conuenit; sed magis expedit, illa enumerare, quae huic propria sunt.

1) Dabatur igitur ius deliberandi non ipso iure, hoc est, ut absque praetoris auctoritate competeteret, sed ne-

2) quod nec lege aliqua nec edicto praetoris statutum erat, sed plane arbitarium; ita tamen, ut more testatorum, qui centum dies praescribere solebant, non pauciores dies concederentur. Vlpianus inde edictum illud sic interpretatur — cum dicit tempus — sine dubio ostendit, esse in ius dicentis potestate, quem diem praestipotuat. I. 1. §. 2. D. de iure deliber. Paulus in I. 2. D. eod. inquit, itaque pauciores centum dierum non sunt dandi; quae pars commentarii ad edictum est, sed verba antecedentia deficient, quae si adessent, facile scire possemus, cur centum dies dari soliti.

3) inde Aristo scribit, non solum creditoribus, sed et heredi instituto subuenire debere I. §. D. de iur. delib.

necessè erat, vt a praetore peteretur. *u)* Opus tamen non erat causae cognitione, quia is actus in nullius praeiudicium vergeret, sed solo imperio sive praetoris iussu.

- 2) Dabantur ad minimum centum dies, vltra quos auctoritatem suam omnino porrigebat Praetor. Quodsi vero tempus hoc nondum sufficeret, iterum adeundus erat Praetor, et nouum spatium, pro qualitate hereditatis atque heredis determinandum, concedebatur, non aliter tamen, quam causa cognita *x)* eaque magna. *y)*
- 3) Dabatur tempus hoc (1) vt tam heres, quam creditores hereditarii instrumentorum inspiendorum copiam habeant, seque instruant; (2) vt res, quae temporis tractu deteriores fieri possunt, adito tamen antea praetore, sine praeiudicio iustis pretiis vendantur, nec non quae nimis sumtuosa sunt e. g. iumenta, venalitia. (3) Vt aes alienum, id vero tantummodo, quod sub poena vel sub preciosis pignoribus debetur, soluatur, (4) vt impendia a numerata pecunia, aut si non extet, ex rerum mora deperditurarum venditione

*u)* l. 68. D. de iudiciis. Generalis quasi regula quoque est, quod ea tatummodo ipso iure competant, quae ex iure ciuili oriuntur illa vero, quae ex iure honorario descendunt, non nisi imploratione ad Praetorem directa.

*x)* Vlpianus Lib. 60. ad Edictum – nonnunquam saepius dies ad deliberandum darur, dum Praetori suadetur, tempus quod primum aditus praefittereat, non suffecisse. l. 3. D. de iur. delib.

*y)* Idem Lib. 61. ad Edictum. Hoc impetrari non debet, nisi ex magna causa, l. 4. D. de iur. delib.

tione fiant; et si denique haec omnia deficerent, vt aut a debitoribus hereditariis tantum, quantum sufficit, exigatur, aut postremo res superuacuae veniant.<sup>z)</sup>

- 4) Heres, qui eiusmodi in hereditate versatur, absque iure deliberandi pro herede se gerebat, et ad totam hereditatem tenebatur, quod vero obtento hocce beneficio locum non habet.
- 5) Praeterlapso demum tempore isto praefituto heres necesse habet, vt aut adeat, aut repudiet, alias a tota hereditate excluditur.<sup>a)</sup>
- 6) Si plures coheredes sint, singulis spatium ex edicto suo concedit Praetor, ita tamen, vt coheredes primo gradu scripti centum dies simul omnes accipi-ant, secundo loco vero scriptus s. substitutus praeter- lapso spatio centum dierum, quod institutus habuit, de nouo spatium deliberandi accipit; Atque hoc qui- dem necesse est, quia antequam institutus repudiaret aut deficeret, ipsa nondum delata erat hereditas.

## §. XVI.

Vt quidem cretio primitus heredibus institutis daba-  
tur, ita quoque de iure deliberandi hoc valere certum est;

<sup>b)</sup> In suis  
heredibus.

ast

<sup>z)</sup> Caius in lib. 23. ad Edictum provinciale l. 6. D. de iure delib.

<sup>a)</sup> Hoc vero tantummodo in extraneis et voluntariis heredibus pro- cedit, non in suis, ita vt si filius suus abstinuerit, postea tamen spatium deliberandi petere queat, modo bona nondum venierint, l. 8. D. de iur. delib.

D

est tamen nullum est dubium, quin mox heredibus legitimis communicatum fuerit; an etiam *suis heredibus* quaeritur? quidni? quaenam enim est ratio, cur hi deterioris sint conditionis? Proprie tamen illis dari non poterat, quia stricto iure iamiam acquisuerant hereditatem, sed potius *beneficium abstinenti* vocatur, quod in voluntariis beneficium deliberandi audit. Nec vlla plane alia differentia in utroque deprehenditur.

### §. XVII.

*¶ eiusdem annexum transmissio scilicet hereditatem* cium erat, quod heres, in deliberando decedens, hereditatem licet nondum aditam ad posteritatem suam *transmitteret*. Non generale autem hoc beneficium erat, nec quibuscumque heredibus competit, sed in antiquioribus legibus *b)* et praecipue ex quaestionibus Iulii Pauli obtinuisse fertur, *filios familias tantum paternam hereditatem deliberantes*, et intra spatium deliberandi decedentes transmittere posse, ita ut tantum temporis deliberandi ad heredes ab intestato perueniret, quantum filios familias adhuc restaret. Quodsi vero post hoc tempus deceperit nec pro herede se gesserit, ad agnatos defuncti reliquos more solito redibat bonorum substantia, et excludebantur ipso iure heredes filiis familias morosi.

### §. XVIII.

*b) Quaenam hae fuerint, nullo modo inuenire potui.* Fortasse intelligit Iustinianus leges antiquissimas, quae simul cum delatione hereditatis eiusdem acquisitionem etiam heredi tribuunt. Sed hoc non sufficit, ut dici possimus, filium familias in deliberando decedentem hereditatem, a quo nondum abstinuit, ad suam posteritatem transmittere, num sufficiat, alii videant.

### §. XVIII.

Haec ita de Iure praetorio manserunt vsque ad *Iustini-*  
*nianum*, a. DXXIX. sub Decii consulatu, hic vero sapientissi-  
mus iurium legumque promotor duplici modo ius delibe-  
randi praetorium mutauit, vt insignius fieret beneficium.  
y) niciſſi-  
tudines &  
quidem  
mūratio a Iu-  
ſiniano facta.

- 1) primo scilicet iussit voluitque, vt in posterum abs-  
 que vllis ambagibus atque *ipso iure* e) heres tam te-  
 stamentarius, quam legitimus deliberationem ante de-  
 scrip̄am habeat, modo nihil suscep̄it, quod aditio-  
 nem, vel pro herede gestionem inducat.
- 2) deinde vt per integrum annum competeteret, quo  
 maius sit beneficium imperatoriaque clementia, quae  
 non minus ac Praetores heredibus consulere voluit.  
 Elapso vero hoc annali tempore, nec adita hereditate  
 aut per gestionem acquisita, nullus ad eandem obti-  
 neat regressus.
- 3) quod ad *transmissionem* hereditatis deliberandae at-  
 tinet, Iustinianus constituit, d) illam non solum in  
 filiofamilias, intra deliberationis spatum deliberante,  
 (vt antiquitus) sed etiam in quibuscumque aliis here-  
 dibus. e) ad quoscunque locum habere.

### D 2

### §. XIX.

- c) Ita vt non amplius illud peti necesse sit. l. 19. C. de iur. delib.  
 expresse Iustinianus sanxit, si — deliberationem meruerit, *vel si hoc*  
*quidem non fecerit*, non tamen successioni renunciauerit. — in quo  
 differt a Theodosiana transmissione, quae solum ex iure sanguinis  
 locum inueniebat. L un. C. de his qui ante apertas tabulas: *Io. Aug.*  
*Helfeld* diss. de transmissione iuris succedendi antecessoris morte non  
 delati. Ien. 1772.
- d) Huc pertinent verba — *et in omnes successores* — *effe protelandam*.
- e) An etiam *testamentariis*? videtur fere, cum Iustinianus ita generaliter de transmissione loquitur, vt nullum deprehendatur argumen-  
 tum, quo contrarium nitatur; nec adeſt, cur hoc fieri nequeat.

## §. XIX.

2) altera  
mutatio ab  
eodem impe-  
ratore facta.

Verum enim vero Idem Ille absolutissimus *Nepoθētus*  
non multo post, et quidem a. DXXXI. totum ius delibe-  
randi plane exulare fecit, cum inueniret nouum benefi-  
cium, quod luculentissimum omnium est, Inuentarii  
nempe f) Hoc iam obtainente, ius deliberandi petere otio-  
sum est, ita ut heredi liceat adire hereditatem, et sine  
damno ab ea discedere, quis igitur locus deliberationi re-  
linquitur? ipse Imperator quaerit. g) Ast tamen

1) permisit h) Imperator heredi, qui vel vana formi-  
dine, vel callida machinatione pro deliberando ei  
supplicandum necessarium esse existimat, antiquum  
beneficium, quatenus eis liceat annale tempus tergiuer-  
sari, et hereditatem inspicere et alias contra eam ma-  
chinationes excogitare, ne quis Imperatorem puta-  
uerit antiquitatis penitus esse contemtorem.

2) Prohibuit, ne amplius *vno anno* ab *imperiali* culmine,  
a *magistratibus* vero nouem mensibus spatium indul-  
geretur. Sin autem fuerit datum, pro nihilo illud  
haberi voluit.

3) ut semel et non saepius concedi possit.

## §. XX.

C.  
*De Inuen-*  
*tario.*  
a) eiusdem  
occasio atque  
ratio.

Iam postremo de *iure inuentarii*, quod a Iustiniano  
qua

f) L. 22. Cod. de iure delib.

g) L. 22. §. 13. C. eod.

h) L. 22. §. 13. C. eod. ubi de solo iure deliberandi differitur ac  
constituitur.

qua scilicet regula, quod heres adita hereditate ad omnes  
aes alienum rationesque hereditarias teneatur, <sup>i)</sup> seruata  
est olim, et hoc quidem ob confusionem bonorum here-  
ditariorum cum propriis. Quod ius strictum et fere in-  
humanum usque ad *Hadrianum A. C. CXXXI.* <sup>k)</sup> inta-  
ctum obtinuit, qui demum naturalis aequitatis studio  
commotus, constitutione imperiali <sup>l)</sup> illud restrixit ita, ut  
*nemo ultra vires hereditatis conueniri possit ac teneatur.*  
Non tamen aliter hoc competebat, ut videtur, quam im-  
petrata restitutione in integrum in minoribus ex capite  
minorenitatis, in maioribus vero ex clausula generali,  
si qua iusta causa mihi videbitur. <sup>m)</sup> *Gordianus* vero Im-  
perator antiquauit idem illud ius abolitum et circa annum  
**CCXLIV** <sup>n)</sup> in paganis reuiuiscere fecit, *in militibus tan-*  
*tummodo exceptionem statuens*, ut si per ignorantiam here-  
ditatem adierint, pro iis rebus tantum conueniantur, quas  
in hereditate defuncti inuenerint, non propria ipsorum  
bona a creditoribus hereditariis inquietentur; arma enim

## D 3

magis

- <sup>i)</sup> 1. 6. §. 6. D. de his qui not. inf. I. 10. D. de Iure delib. I. un. Cod  
vract. ab hered. contr. hered.
- <sup>k)</sup> anus appositus est confecti edicti perpetui, quo fortasse hoc  
constitutum erat, tunc enim imperium legislatoria auctoritate  
maxime auxit Hadrianus §. 6. I. hered. qual.
- <sup>l)</sup> Quam non amplius habemus; eius tamen mentio fit in §. 6. Inst.  
de hered. qual.
- <sup>m)</sup> Quod appetat ex §. 5. et 6. Inst. de hered. qualit.
- <sup>n)</sup> Quanam constitutione etiam non liquet, nihil enim istiusmodi  
Codici Iustinianeo insertum est, nec ullum in alio auctore depre-  
hendere potui vestigium, nec Cuiacius, qui deperditam aliam, de  
nuptiis contra mandata contractis et dote caduca, ex Mscto. Pithoeano  
restituit Obs. I. c. XI. eiusdem mentionem facit.

magis, quam iura scire, militibus estimauit legislator. Hanc inaequilitatem aegre ferens *Iustinianus* iterum tollere voluit noua sanctione AC. DXXXI. benignitatis plenissima, quam amplissimam habemus in *I. 22. C. de Iure delib.* o) vbi ante omnia beneficium a Gordiano ad milites adstrictum quibuscumque heredibus communicauit. Verum enim vero cum *Iustinianus* videret, nonnunquam accidere posse, ut improvisum aes alienum heredi molestum fieret, omnibus antiquioribus constitutionibus derogauit, in eorundemque locum substituit concessisque *inuentarium beneficium*.

### §. XXI.

*Forma In- uentarii.* *Inuentarium* p) hic nobis est enumeratio omnium rerum hereditiarum vero pretio aestimatarum auctoritate publica et praesentibus omnibus, quorum interest, ab herede facta. Finis confectionis eiusdem erat, vt cognoscere possit heres rationem inter bonorum substantiam inuentam et debita praestanda. *Iustinianus* multa requisuit, quae necessario obseruanda sunt, quo forma eiusdem constituitur, atque praecipue haec sunt.

1)

- o) Ante constitutionem hanc, iam alia consuluisse ex legis dictae exordio satis appetet, quae de *improuisis debitis* egisse traditur.
- p) *Inuentarium* ab eo, quod inuenitur dictum est, et differt a specificatione; illud singulas res cum omni sua causa enumerat, haec vero tantummodo enumerationem generum comprehendit; illud publica, haec priuata auctoritate conficitur. *I. 1. §. 3. D. de tut. et rat. distr. l. 7. D. de adminitr. et per. tut. l. 11. D. de ventr. in poss.*

- 1) intra *XXX dies* post apertas tabulas, vel postquam nota fuerit apertura tabularum, vel delatam ab intestato hereditatem cognoverit, inuentarii fiat *initium*, et intra alios *LX. dies finis*, quale spatium ipso iure pro deliberatione heredibus conceditur. Quodsi vero a locis, in quibus res hereditariae, vel maxima pars earum posita est, heredes abesse contigerit, tunc eis *vnius anni spatium*, a morte testatoris numerandum, dedit ad inuentarii huius consummationem. q)
- 2) citentur omnes, quorum interest, et adsint tabularii. r) Sin vero absint aliqui, non minus quam tres testes fide digni et possidentes substantiam et optimae opinionis ex ciuitate testatoris adsumantur, qui iurentur, se affuisse iis, quae gesta sunt, et vidisse, quae tunc agebantur, et in nullo conscientia esse factae ab herede malignitatis. Nou. I. cap. 2. §. 1.
- 3) Subscribat denique heres et promittat, quod nulla malignitate vel facta vel facienda res apud eum permaneant. Quodsi vero litterarum ignarus sit, scribere praepediatur, speciali tabulario ad hoc solum adhibendo, ut pro eo litteras supponat, venerabili + signo antea manu heredis praeposito, testibus videlicet adsumendis, qui heredem cognoscant et, iubente eo, prof se subscribere intersint. s)

## §. XXII.

q) l. 22. §. 1. et 2. et. 3. C. de iure delib.

r) ibid.

s) ib. in fin.

---



---



---

### §. XXII.

*Iura heredis ob inventarii confectionem.* Iam vero ab Inuentarii legitima confectione plura peculiaria iura dependebant, quod scil. heres.

- 1) non pro herede se gerere videatur.
- 2) Quod possit excipere et retinere quicquid in funus expendit vel in testamenti insinuationem, vel in inuentarii confectionem, vel in alias necessarias causas hereditatis sese persoluisse probauerit. *u)*
- 3) Quod, si ipse contra defunctum habeat actiones, haec non confundantur, sed similem cum reliquis creditoribus habeat fortunam, seruanda tamen praerogativa temporum inter creditores. *x)*
- 4) Quod nulla sit licentia, neque creditoribus neque legatariis vel fideicommissariis, heredem inquietare, vel ad iudicem vocare, vel res heceditarias, quasi ex hypothecarum auctoritate vindicare. *y)*

### §. XXIII.

*Pœna heredis fornicatoris ne praesentis scriptam negligenter.* Quum vero heres inuentarii confectionem ita distulerit, ut tempus concessum effluxum sit, aut formam constitutionis non obseruauerit, triplex eius poena est.

- 1) Heres esse intelligatur. *x)*
- 2) Debitis hereditariis in solidum teneatur. *a)*
- 3) Nec competit quarta Falcidia. *b)*

### §. XXIV.

- z)* l. c. §. 4.
- u)* l. c. §. 9.
- x)* l. c. §. 9. in f.
- y)* l. c. §. 11.
- z)* l. c. §. 14.
- a)* ibid.
- b)* Nou. I. c. 2. §. 2.

### §. XXIII.

Nequaquam vero Iustinianus soli heredi, sed etiam creditoribus hereditariis per ipsam hanc constitutionem beneficia scripsit et quidem *Creditorum  
beneficia qua  
ab inuenta  
rio pendent.*

- 1) ut illis liceat, si maiorem putauerint esse substantiam a defuncto reliqtam, quam heres in inuentario scripsit, superfluum adesse probare legitimis modis, vel per tormenta forsitan seruorum hereditariorum, vel si aliae probationes defecerint, per sacramentum ab herede praestandum, ut heres sicuti nec damnum ita nec lucrum (scil. cum damno creditorum) sentiat. Quodsi vero heres aliquid surripuerit, vel celauerit vel amouendum curauerit, ad dupli eius restitutio- nem teneatur. *c)*
- 2) Ut creditoribus hereditariis intra tempus praestitu- tum LXXX. dierum vel anni non currat praescriptio, ne in praeiudicium illorum tendat beneficium heredi concessum. *d)*

### §. XXV.

Ab adita cum inuentario hereditate igitur peculiares effectus in- effectus sentiebat heres. *Effectus in-  
uentarii.*

- 1) Quod scilicet hereditatem sine omni periculo habeat. *e)*
- 2) Legis falcidiae ratio aduersus legatarios locum inue- niat. *f)*

*c)* l. c. §. 10.

*d)* l. c. §. 11 in f.

*e)* l. c. §. 4.

*f)* Ibid. Nou. I. c. II. §. 1.

- 3) Quod in tantum hereditariis creditoribus teneatur, in quantum res substantiae ad eum deuolutae valeant. *g)*
- 4) Quod satisfaciendo primis venientibus creditoribus, nec reliquo aliquo, posteriores venientes repellantur ne quidquam ex suo amittat heres. *b)*
- 5) Sin post emensum patrimonium creditores adhuc superueniant, neque heredem neque emtores rerum hereditiarum inquietare possunt, quarum pretia in legata vel fideicommisſa vel alios creditores processerunt; id tamen his licere datur, quod legatarios vel fideicommissarios vel creditores istos conuenire possint aetione hypothecaria et indebiti condicione. Absurdum enim esset, inquit Iustinianus, creditoribus ius suum persequentibus legitimum auxilium denegari, legatariis vero, qui pro lucro certant, suas partes leges accommodare. *i)*
- 6) Sin vero heres creditoribus res in solutum dederit, vel etiam soluerit, liceat aliis creditoribus, qui ex anterioribus veniunt hypothecis aduersus illos venire, et ab iisdem accepta repetere, vel aetione hypothecaria, vel condicione ex lege. *k)*
- 7) Emtores rerum hereditiarum et heredem denique ab omni conuentione immunes sint. *l)*

## §. XXVI.

*g)* I. c. pr. et §. 4.

*b)* I. c. §. 4.

*i)* I. c. §. 5.

*k)* I. c. §. 6.

*l)* I. c. §. 7. et 8.

### §. XXVI.

Haec ita *in paganis* heredibus, in *militibus* aliter dis-  
posuit Iustinianus, iisque subtilitates omnes in confiendo *In militibus*  
inuentario remisit, effectus tamen eosdem sentire iussit, in *quoad solem-*  
*nitates in-*  
*uentarii ex-*  
*ceptio facta*  
*est.*  
*antur.* Vtrum vero a forma inuentarii seruanda exem-  
tis sint, omnino dubitamus, quia de hoc Imperator nihil ex-  
presse statuit, sed tantummodo ad subtilitates obuenientes  
dispositionem suam adstrixit. *m)*

### §. XXVII.

Ex quibus omnibus luculenter appareat, nullum he-  
redi concedi potuisse maius beneficium, simulque in apri-  
co est, in quo differant iuris deliberandi et inuentarii ef-  
fectus, quorum potissimum est, quod in hoc non vltra vi-  
res hereditatis teneatur heres. Vtrum vero hereditas,  
morte heredis intra tempus inuentarii conficiendi subse-  
cuta, ad posteritatem eiusdem transmittatur, sicuti in iure  
deliberandi? videndum est. Nos putamus omnino. Ni-  
hil quidem Iustinianus de transmissione hereditatis dispo-  
suit, sed argumento vti possumus, quo res nostra satis ex-  
peditur. Imperator enim l. c. §. vlt. *Notissimum est,* in-  
quit, *hac constitutione, quae omnes casus continet, nostris*  
*constitutionibus iam pro iisdem capitulis promulgatis esse de-*  
*derogatum.* Quum igitur anterioribus constitutionibus

E 2

*m)* l. c. §. 15. hanc exceptionem plerique nostratum omiserunt, et  
nescio quo faro; fortasse ob generalem militum exemptionem a le-  
gum ciuilium subtilitatibus? sed necesse est, exceptio expresse fa-  
cta adsit. Habemus tamen hic expressam.

pro capitulis in hac noua obuenientibus derogauit Iustinianus, sequitur iis non derogatum esse, quorum in hac noua nulla fit mentio. Iam vero, quod ad transmissionem attinet, nihil hic sanctum est; quid inde? nonne recte concludo, eandem etiam simul cum inuentarii beneficio obtinere? Nullum est dubium, cum clarissimum argumentum aliquod excogitari nequit, nisi volueris omnia iura nostra ex ipsis legum verbis immediate deducere, et qualis, amabo! erit jurisprudentia nostra?

### §. XXVIII.

*De usu ho-  
dierno.*

Restat denique, ut nonnulla de iis, quae hodie in adeunda hereditate obtinere solent, adiiciamus. Ne vero iusto longiores simus, ea tantum enumerare volumus, quae moribus Germanorum mutata sunt, reliqua secundum Iustinianeam sanctionem seruari adhuc debere censenda sunt.

- 1) Statim in momento mortis eius, de cuius hereditate quaeritur, siat obsignatio solemnis vel per coheredes priuatim, vel per notarium publicum, vel per iudicem eumue, cui iudex hoc negotium committit. <sup>n)</sup>
- 2) Ante diem trigesimum a morte defuncti testatoris non aperiatur testamentum. <sup>o)</sup> Inde fluit (<sup>a)</sup>) quod ne prius spatium nonaginta dierum ad conficiendum inuentarium currat, quam certo dici potuit, quis nam  
heres
- <sup>n)</sup> Leyser in Meditatt. ad Pand. Spec. CCCLXIV. med. IV. Carpzou. P. III. C. 33. d. Io. Esbachius ad h. l. Hornius. in disputatt. de die tricesimo §. 18. qui contra Lauterbachium et Strykium disputationat.
- <sup>o)</sup> Ord. polit. Magdeb. c. 43. §. 11. Carpz. P. III. c. 14. def. 14.

heres existat; ideoque spatium CXX dierum ad consummationem inuentarii iure germanico datur, si a tempore mortis computatur. (β) si autem ab intestato deceperit defunctus, potuerit quispiam arbitrari illos XXX. dies non esse exspectandos; sed nos putamus omnino, eadem enim hic est ratio, quod lucretui et honori spatium hoc dicatum sit. p)

- 3) Specificatio iurata secundum mores nostros solemini inuentario aequiparatur. q)
- 4) poena dupli, si heres aliquid ex rebus hereditariis suppresserit, non obtinet. r)

### §. XXIX.

Singularia quae ex iure Brandenburgico obtinent, po- *Differentiae  
iuris Bran-  
denburgici.*  
tissimum haec sunt:

- 1) intra 6 hebdomades, a tempore mortis defuncti computandas conscribatur inuentarium, aut loco eius iurata specificatio edatur. s)
- 2) Effluxo hoc spatio heres in iudicio declaret intra alios XIV dies, vtrum cum beneficio legis et inuentarii adire velit hereditatem, nec ne. t)

E 3

3)

p) Stryk. Us. mod. ad Lib. XXVIII. Tit. VIII.

q) Leyser I. c. Spec. CCCLXV. med. I.

r) Stryck I. c. §. 8. Struui Exerc. 33. §. 56. Richter decis. 59. nr. 17. Carpz. Pr. Crim. P. II. quaest. 83. n. 84.

s) Cod. Frid. III. 15. §. 3.

t) ibid.

3) deficiente hac declaratione pure pro herede habeatur, u) nec restitutio in integrum nec aliud deliberandi spatium concedatur. x)

u) Cod. Fr. I. c. §. 4.

x) Cod. Fr. I. c. §. 5.



Fl 600  
X2369233

ea-  
ndi



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-170019-p0042-6

DFG



IOAN. MELCH. GOTTLIEB BESEKE  
I. V. AC PHIL. DOCTORIS  
REGIAE SOC. VIADR. ET LAT. IENENS. SODALIS  
COMMENTATIO  
DE  
CRETIONE, IVRE DELIBERANDI,  
ET  
INVENTARIO  
IN ADEVNDA HEREDITATE.



2. 4. 06.

H A L A E  
I. C. H E N D E L I I  
M D C C L X X I I I.